



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 25. Galliarum Rex ad fœdus cum Papa ineundum a Lotharingio
Cardinale persuasus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæc. XVI.
A.C. 1555.

ritum suum secessit. Verum Pontifex hujus fuga tantopere commovebatur, ut Marcum Antonium, ejusque Patrem Ascanium anathemate percussos Salliano Ducatu, omnibusque, quæ in ditioe Ecclesiastica possidebant, bonis spoliaret, eorumque possessionem edito diplomate Joanni Carassæ Comiti Montorio suo ex fratre Nepoti traderet.

§. XXV.

Gallarum Rex ad fœdus cum Papa ineundum a Lotharingio Cardinale persuasus.

Cum unicum Pontifici præsidium in Galliarum Rege reliquum esset, hinc nonnulli Hannibalem Ruccellajum, cuius Avunculus Joannes Casa ab epistolis Paulo IV. erat, ad Henricum II. ablegabant, qui eum de tota rei serie edoceret, illumque ad fœdus cum Pontifice percutiendum sollicitaret. Id cum in Senatu ad deliberandum proponeretur, Annas Montmorentius Connestabilis sese vehementer huic armorum societati tanquam Regno perniciosæ opponebat, ac longe utilius censebat cum Cæsare, ac Philippo pacem jam dudum agitatam tandem concludere. Hoc idem consilium Cardinalis Turnonius gravioribus adhuc rationibus fulciebat,

P 4

asseve-

Secul. XVI.
A.C. 1557.

asseverans, quod Pontifici non modo sufficiens copiarum numerus, sed etiam ad tanti momenti expeditionem necessarius deesset belli apparatus. Nihilominus Cardinalis Lotharingius novitatum percupidus, atque arrogantia, & audacia ipso Cardinale Caraffa haud inferior summopere Pontificis consilium commendabat, palam professus, haud prætermittendam esse adeo opportunam Gallicæ Monarchiæ fines protendendi occasionem. His quoque plura adhuc addidit, quibus facile expugnabat Regis animum, qui jamjam ad prosperos rerum successus admodum inflatus aliunde Guisiis, eorumque fautoribus faciles aures præbere assuetus arat.

XXVI.

Idem Cardinalis pro firmando fœdere Romam decretus.

Pillat.
Conc. hist. l.
13 c. 15. n. 17.

Ergo Lotharingius Cardinalis unacum Turnonio Romam decernitur: posterior vero Lugduni subsistebat, eo quod sub idem tempus Pontifex diploma divulgasset, quo decernebatur, ut is, cui jure Ostiensis Episcopatus obvenisset, sacri Collegii Decanus esset, ac proin ob hanc dignitatem ceteros etiam se antiquiores præcederet Cardinales: ea propter Turnonius salva dignitate sua Romam venire se non posse existimabat,